

tionis nisi accedat consensus novitii: idest nisi accedat renunciatio novitii. Jamvero ex resolutionibus S. Congreg. Concilii relatis a Pitonio in tom. 1. *Disceptatione* 6^a. et a Fagnano in cap. 23. *h. t.* Doctores tenent renunciationem beneficii venire sub dispositione Tridentini interdicens quamcumque renunciationem ante duos menses proximos professioni. Cum vero ex declaratione immediate collata renunciatio de qua in Tridentino *c. 16. sess. 25. De Reg.* facienda sit infra bimestre proximum professioni votorum solemnium; sequitur, etiam renunciationem beneficii fieri non posse ante hoc tempus. Interim vero ex *c. 4. h. t. in 6^o.* destinatur clericus idoneus qui onera beneficii impleat et congruam habeat portionem fructuum, et proventuum beneficii.

28. 5^o. Ex jure communi conjugibus ante consummationem matrimonii conceditur bimestre ad deliberandum utrum religionem approbatam velit alteruter ingredi, et inde per professionem vinculum conjugii solvitur, ita ut pars quæ in sæculo permansit possit alias nuptias conciliare. Quæsitum est an post novum jus a Pio IX. statutum alter debeat solummodo annum expectare, an etiam triennium post vota simplicia usque nempe ad emissionem votorum solemnium? Ex declaratione *diei 25. Januarii 1861* deprehendimus matrimonium ratum et non consummatum dissolvi solummodo per solemnem votorum professionem non vero per emissionem votorum simplicium. Ne autem uxor triennium post vota simplicia viri ligata permaneat, ipsa vel vir, poterit ab Apostolica Sede exposcere facultatem, ut statim vota solemnia possint emitti.

6^o. Juxta Const. Clem. VIII. professio votorum solemnium nuncupanda est in domo ipsa novitiatus. At ex decreto *Neminem diei 19. Martii 1857* professi votorum simplicium commorari debent in domibus professorum et studiorum. Quare enata quæstione Summus Pontifex *die 9. Decemb. 1859* declaravit, et constituit ut, literis Apostolicis Clementis VIII. aliisque quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere possint suo tempore vota solemnia nuncupare in conventu seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de jure servandis, quin tenerentur profiteri in domo peracti Novitiatus.

29. 7^o. Cum quæsitum esset an qui forte habitum religionis induerint majores jam 25 annorum ætate, aut huic ætati proximi, possint expleto jam novitiatus anno ad vota solemnia, et profes-

sionem admitti vel expectare debeant ulterioris probationis triennium; in declaratione diei 20. Jan. 1860 responsum est negative ad primam partem, affirmative ad 2^{am} scilicet expectandum esse triennium.

30. 3^o. Tertium requisitum ad valorem religiosæ professionis est consensus seu acceptatio ex parte religionis. Professio enim est onerosus contractus ultro citroque obligans. Religio scilicet suscipit obligationem præstandi alumno suo necessaria pro honesta sustentatione suo ordini conveniente, eumque tractandi juxta regulam religiosi instituti. Deprehenditur vero hæc necessitas acceptationis ex *c. 13. et 16. h. t.* Hæc vero acceptatio fit a superiore generali, vel a superiori provinciali, at prius debet per actum capitularem exquirere consensum capituli. Quod infertur ex *c. 6. De his quæ fiunt a prælatis.*

31. Post juris immutationem inductam a Pio IX. attendenda est declaratio diei 7. Febr. 1862 in qua edicitur: Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debere capitulum conventuale ad instructionem animi superiorum: Superiorem vero generalem vel ejus subdelegatum non adstringi ad amplectendam resolutionem ejusdem Capituli. Præterea cum sermo sit de non acceptanda professione solemnī, seu melius de dimittendo ab Ordine religioso alumno qui professus est vota simplicia præ oculis habendi sunt articuli IV. et V. declarationis authenticæ *diei 12. Januarii 1858*. In his articulis decernitur 1^o. Facultatem dimittendi a Religione professum votorum simplicium pertinere ad Superiorem generalem Ordinis cum suo generali consilio. 2^o. In casibus extraordinariis a Superiore generali cum suo consilio posse præsertim pro regionibus longinquis ad dimissionem decernendam subdelegari probos, et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent. 3^o. Ad decernendam dimissionem non requiri formam judicalem, sed procedi posse sola veritate facti inspecta. 4^o. A superioribus vero procedendum esse summa charitate et prudentia, et ex justis et rationabilibus causis quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat.

De effectibus professionis religiosæ.

32. Quid efficiant vota simplicia jam supra vidimus; hinc modo proprie loquimur de professione solemnī. Primus effectus est ut

ineatur perpetuum vinculum, et mutua obligatio inter religionem et professum de qua supra *c. 13. et 16. h. t.* Quod vinculum mutuo consensu solvi nequit arg. *c. 6. De statu Monachor. et can. 4. c. 33. q. 5.* 2^o. Religiosa professio extinguit alia vota simplicia prius emissa etiam ingrediendi religionem strictioris observantiæ *c. 5. h. t. in 6^o.* Quemadmodum enim ait Alex. III. in *c. 4. De voto*: 'Reus fracti voti aliquatenus non habetur qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare'. 3^o. Irregularitatem ex defectu natalium ortam aufert in relatione ad ordines etiam suscipiendos, haud excluso ipso presbyteratu, non autem defectum aufert in ordine ad prælaturas sive in religione sive extra religionem assequendas *c. 1. De filiis presbyterorum.* Hoc vero privilegium non est ad alias irregularitates extendendum. Scilicet professio religiosa non aufert irregularitates ex alio capite ortas. 4^o. Eximit religiosum a patria potestate, in iis vero quæ onus quoad professum secumferunt. Nam incipit subjici regulæ, et superioribus ordinis religiosi. Ita DD. cum Gloss. in *l. si ex causa § Papinianus ff. De Min.* 5^o. Solvit sponsalia ante contracta, et matrimonium ratum et non consummatum. Conc. Trid. *can. 6. sess. 24. De Ref. Matr.*

De invalida professione.

33. Exponendum est decretum Tridentinum in *sess. 25. c. 19. De Reg.* Ex hoc decreto patet 1^o. esse professo jus reclamandi contra votorum professionem; 2^o. illud dari quoties pateat professionem fuisse emissam sub actione vis, et metus aut indebita ætate aut verificetur *quid simile*. Quæ ultima verba satis exprimunt jus reclamandi competere in genere pro quacumque causa quæ nullam fecerit professionem ex. gr. quia novitiatus fuerit interruptus, vel Novitius non gestaverit habitum religiosum etc.; 3^o. querelam esse proponendam intra quinquennium computandum a die emissæ professionis coram legitimo Superiore regulari, seu prælato Monasterii, et simul coram loci ordinario. Quodsi professus tacuerit per quinquennium, eo expleto non amplius auditur, quia præsumitur ratam habuisse professionem suam omnique juri nuncium misisse; 4^o. si quis intra quinquennium propria auctoritate habitum dimisit, ad monasterium redire cogendum esse, non admitti ad proponendam querelam, tamquam apostatam puniendum et interim privandum omni privilegio suæ religionis.

34. Hæc Tridentina dispositio ampliationem, et formam magis determinatam accepit a Const. Benedicti XIV. '*Sed datam hominibus diei 4. Martii 1748.* In hac Constit. decernit plura: 1^o. Decretum Trident. *c. 19. sess. 25. De Regul.* comprehendere etiam feminas professas religionem, licet videatur de viris religiosis tantum loqui. 2^o. Statuit, etiam non reclamante religioso professo, ipsum superiorem detecto impedimento intra quinquennium posse cum Ordinario loci procedere in cognitione causæ nullitatis professionis. 3^o. Actionem instructam intra quinquennium licet inde desertam, posse iterum a religioso moveri, et judicari ab Ordinario et Superiore regulari. 4^o. Superiorem ad effectum quæstionis illum esse qui tempore motæ litis regimen habet Monasterii vel cœnobii in quo reclamans professionem emisit. 5^o. Quoad moniales, si sermo sit de monasterio sui Ordinario immediate subjecto, solus Ordinarius intra quinquennium causam reclamantis judicat; si vero sermo sit de monialibus exemptis, Superior regularis non est confessarius regularis, sed ille cui concreditum est universum regimen Monasterii. 6^o. Superior regularis non potest totum negotium Episcopo finiendum committere, sed potest alium virum ecclesiasticum juris canonici peritum delegare, qui cum Episcopo procedat. 7^o. Romanæ Sedi reservatur cognitio causæ nullitatis ob emissam probationem extra domum Novitiatus. 8^o. Potest ad querelam admitti intra quinquennium religiosus qui habitum dimisit, si deinde illum reassumpserit et in religione commoretur. 9^o. Conficiendus est processus vere et proprie dictus judicialis et sub pœna nullitatis actorum est deputandus defensor professionis religiosæ ex officio, qui interrogatoria dare debet, et assistere confectioni tabularum processus, necnon coram iudicibus voce, et scripto valorem professionis tueatur. Citandi insuper sunt, et audiendi defensores Monasterii seu cœnobii et alii omnes, quorum interest professionem religiosam sustineri. 10^o. Si Ordinarius et Superior regularis in iudicio dissentiant, causa definienda devolvitur ad Apostolicam Sedem. 11^o. Lata sententia in prima instantia ab Ordinario, et Superiore regulari, religiosus poterit appellare, si pro validitate professionis jus dictum fuerit; debet vero appellare defensor ex officio, si pro nullitate professionis steterint iudices, et interim suspenditur executio sententiæ prolata. 12^o. In secunda instantia ad illum ordinarie devolvitur causæ cognitio, ad quem de jure aliæ omnes ecclesiasticæ causæ in gradu appellationis transeunt. Simul

vero cum hoc secundo Ordinario causam judicabit Superior regularis Monasterii ejusdem ordinis, quod monasterium sit vel in civitate, vel in diœcesi Ordinarii appellationis. Si nec in diœcesi adsit Monasterium, assumitur superior vicinioris Monasterii ejusdem ordinis. In hac etiam sede iudicii, et in aliis, si ulterius appelletur, adsint semper defensores professionis sub pœna nullitatis actorum. Hæc omnia observanda etiam sunt in curia Cardinalis Vicarii Urbis. Superior vero regularis non admittitur ad iudicandum cum causa apud Sedem Apostolicam, in aliqua nempe Sacra Congregatione vel in Rotæ auditorio decernitur. 13^o. Nisi binæ sententiæ conformes habentur, non poterit professio uti nulla haberi, nec professus ad alia vota transire potest.

35. Antiquitus ex decreto Gregorii XIII. edito a Sacra Congr. Concilii die 5. Martii 1598, elapso quinquennio, nullus religiosus audiebatur, nec si asseruisset per vim et metum se fuisse professum et vim, et metum semper perdurasse. At inductum est, ut, quinquennio elapso inutiliter, concederetur beneficium restitutionis in integrum, quo beneficio obtento posset cognosci et decerni causa nullitatis professionis. Jam vero in citata Constit. '*Si datam hominibus*' iudicium pro concedenda vel neganda restitutione in integrum reservatur Sedi Apostolicæ. Quo in negotio ut rite procedatur juxta cit. Constitutionem committi debet Ordinario loci et Superiori Regulari mandatum ut super causis restitutionis in integrum conficiant processum, eodem modo quo facere deberent pro causa nullitatis professionis infra quinquennium decernenda. Deinde quæstio apud S. Sedem discutitur perinde ac si ageretur de causa nullitatis, nec pro obtinenda restitutione unica favorabilis sententia sufficit, sed duplex conformis requiritur. Hac obtenta restitutione, Ordinarius loci et Superior Regularis procedere possunt ut supra, in cognitione causæ pro invaliditate professionis quemadmodum, si ante quinquennium facta fuisset reclamatio. Hæc ex Constitutione '*Si datam*'. Hodie vero ut temporis brevitati, et sumptuum moderationi consulatur, annuente Summo Pontifice solet apud S. Sedem utraque quæstio simul pertractari in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium proposito distincto dubio.

36. Causæ pro exposcenda restitutione in integrum ad duas præcipue reducuntur: nempe 1^o. ad ignorantiam impedimenti et nullitatis professionis; 2^o. ad impotentiam instituendæ querelæ contra professionem in decursu quinquennii.

De transitu ab una religione ad aliam.

37. Professio religiosa non solum obligat ad observantiam trium votorum substantialium, sed etiam obligat ad ea vota observanda prout sub speciali regula observanda proponuntur. Quare in genere odiosus est transitus religiosi ab uno ad aliud institutum. Sed tres casus possunt considerari: videlicet 1^o. transitus de religione strictioris observantiæ ad religionem observantiæ laxioris; 2^o. transitus de una ad aliam religionem æqualis rigoris; 3^o. transitus de religione minus rigida ad rigidiorum.

Primus transitus expresse prohibetur in Tridentino *sess. 25. cap. 19. circa finem De Reg.* Ex capite autem 5. *h. t.* deprehendimus transitum regularis de sua ad æqualis rigoris religionem non esse facile permittendum. Ergo permitti potest ex legitima causa.

38. Tertius casus est transitus ad religionem strictioris observantiæ. Transitus hujusmodi a jure admittitur *c. 18. h. t.* quia consideratur uti desiderium majoris perfectionis, quam religiosus sibi assequendam proponit. Ut autem legitime hic transitus fiat, 1^o. debet religiosus exposcere a superiore suo immediato licentiam transeundi, eique exponere causam sui consilii. Quam licentiam denegare non debet Superior, posita justa causa, et si illegitime denegetur, potest religiosus consilium suum exequi. 2^o. Ut vero licentia concedatur a Superiore, et legitime perficiatur transitus, necesse est ut Superiori constiterit aliam religionem esse paratam ad religiosum suscipiendum: ita ut recta via ab uno ad aliud religiosum institutum transitus fiat. 3^o. Ex decreto Urbani VIII. *diei 21. Sept. 1624* Superior recipiens debet ante omnia inspicere litteras dimissorias superioris religionis. Decretum hujusmodi legi potest in textu Concilii Tridentini cum declarationibus et resolutionibus S. Congr. Concilii edito a sacerdote Petella Neapoli *p. 433. ad cap. 19. sess. 25. De Reg.*

39. Posito transitu a religione in qua votum emittitur de non procuranda sibi dignitate, vel prælatura extra proprium ordinem, votum hujusmodi perseverat et obligat religiosum in nova religione ad quam transit. Ita in Constitutione Urbani VIII. *Honorem diei 24. Febr. 1643*. Præterea si transitus factus fuerit a religione mendicantium ad non mendicantium institutum, *ex Cl. 1. h. t.* religiosi transeuntes 1^o redduntur inhabiles ad prioratus, administra-

tiones et officia quæcumque etiam tamquam vicarii aliorum locum tenentes. 2º. Excluduntur a capitulis congregatis vel pro electionibus, vel pro aliis negotiis exercendis. Excipiuntur solum capitula congregata pro correctione et pro disciplina regulari in quibus sedem et vocem habent.

40. Ea quæ diximus communia sunt viris et mulieribus in iis, in quibus dispositio potest mulieribus convenire. In specie autem pro monialibus animadvertendum est ex Const. S. Pii V. '*Decori*' 1. Febr. 1569 absolute interdicti monialibus egressum e clausura nisi sit ex causa lepræ, epidemiæ et magni incendii. Ex qua Const. inferunt DD. de jure communi ademptam esse monialibus facultatem transeundi ad aliud monasterium. Ita etiam censuit S. Congr. cujus resolutionem citat Giraldis *Comm. ad c. 18. h. t.* Ita autem adempta est hæc facultas ut eam possit concedere Major Pœnitentiarius solummodo pro monasteriis ultra montes et non nisi legitima causa existente discussa in Signatura. Ita Bened. XIV. in Const. '*Pastor bonus*' 13. Apr. 1744 § 36.

De ejectis, fugitivis et apostatis.

41. Ejectus ille est qui post emissa vota solemnia perpetua et irrevocabilia ex sua culpa ob legitimam causam expellitur ab instituto religioso. Dixi post *emissa vota perpetua et irrevocabilia* quia qui adhuc novitius, vel qui juxta decretum *Neminem* Pii IX. diei 18. Martii 1851 dimittitur a religione post professionem votorum simplicium non computatur inter ejectos in sensu canonum. Ex *c. ult. De statu Monach.* in quo dicitur ovem morbidam ejciendam esse ab ovili ne inficiat sanas et ex *c. 7. Ne Clerici vel Monachi*, et ex *c. 24. h. t.* infertur posse a superioribus regularibus ejci monachum a religione non obstante professione votorum solemnium. Accessit his capp. decretum S. Congr. Conc. editum jussu Urbani VIII. *Sacra Congr. diei 21. Sept. 1624.* Ex quibus omnibus patet nullum posse ejci religiosum nisi sit vere incorregibilis, seu qui graviter et cum scandalo delinquat, nec pluries monitus et correctus cesset a delinquendo graviter et cum scandalo, nec insuper ad saniolem mentem reduci possit pœnitentiis, censuris et ipsa per annum incarceratione in jejunio intra septa monasterii tolerata. Hoc experimentum carceris reductum fuit ad sex menses in decreto S. Congr. specialis diei 24. Julii 1694 probato ab Innocentio XII.

42. Ejectio autem juxta citat. decr. Urbani VIII. fieri debet ab ipsomet Superiore generali tantum de consilio, et assensu sex patrum, qui sunt eligendi in singulis capitulis generalibus inter religiosos gravioris ætatis et maturi consilii; et instructo secundum eorum stylum, et constitutiones processu et plene probatis causis expulsionis juxta sacrorum canonum præscriptiones. Hæc facultas pro ejciendis incorregibilibus religiosis extenditur etiam ad Provinciales juxta cit. decretum Innoc. XII.

43. Post ejectionem antiquitus ex *c. 24. h. t.* onus inerat Superiori ut singulis annis requireret ejectos utrum ad monasterium redire vellent. Hodie vero servanda est dispositio decreti cit. Urb. VIII. in quo, licet in genere renovetur *c. 24. h. t.*, tamen in specie statuitur Superiores requirere et excipere debere ejectos, dummodo in ipsis subsit spes evidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis concedendis S. Congr. serio oneravit. Excipiunt DD. ab hac obligatione illos religiosos, quorum statuta ab Apostolica Sede probata prohibent iterum recipi formaliter ejectos.

44. Ejecti interim permanent religiosi. Hinc 1º. tenentur vitæ emendationi serio vacare, ut reconciliatione cum religione et novo ingressu digni reddantur. 2º. Obligantur votis paupertatis, ex quo incapaces sunt juris possidendi, et castitatis. Voto obedientiæ non adstringuntur cum actu non habeant superiorem cui pareant. Quam diu autem ad religionem non redierint, in habitu clericali incedere debent et Episcopo subesse. Ita decernitur in cit. decreto Urbani VIII. § 7. Tandem ex eodem decreto § 10. religiosi ejecti quoadusque extra religionem degunt, sunt ipso facto suspensi ab exercitio ordinum et quidem absolutio ab hac censura reservata est Romano Pontifici. Hanc pœnam renovatam videmus in Const. *Apostolicæ Sedis* § V. inter suspensiones latæ sententiæ Summo Pontifici reservatas.

45. Fugitivus religiosus proprie ille est qui e monasterio ex quocumque etiam pii operis perficiendi prætextu absque superiorum licentia recedit, vel cum habitu vel sine habitu cum intentione tamen ad monasterium redeundi. Ex mente insuper Concilii in eodem loco expressa inter fugitivos adnumerandus est etiam ille religiosus qui egreditur e monasterio sub prætextu adeundi superiores, nisi fuerit ab iisdem missus aut vocatus. Pariter est fugitivus et ille qui monasterium relinquit sub prætextu adeundi Sedem

Apostolicam. Ita ex Const. Sixti V. *Cum de omnibus*. Excipitur casus quo religiosus ob gravamina a Superioribus sibi illata volens ad Sedem Apostolicam confugere, probare potest testium proborum fide, Superiores denegasse expostulatam licentiam. Ita idem Sixtus V. in Const. *'Ad Romanam'* adnexa eidem Constitutioni *Cum de omnibus* § 20. Pariter ex eadem Const. *Cum de omnibus* uti fugitivus considerari et tractari nequit religiosus in casu quo ipse discedens ex monasterio plene cognoscitur ab illis apud quos divertit ita ut nulla dubitatio aut suspicio contra religiosum de irregulari discessu concipi possit.

46. Apostatæ proprie loquendo illi sunt qui religionem illegitime deserunt absque animo ad eam redeundi. Fugitivi et apostatæ tenentur 1^o. ad observantiam trium votorum substantialium, et aliarum obligationum proprii instituti. Hinc quoad votum obedientiæ, quoniam de facto superiorem actu non habent, illud frangunt per peccatum in causa, scilicet protrahendo reditum ad religionem. 2^o. Arg. c. 2. *Ne clerici vel monachi in* 6^o. Fugitivi et apostatæ habitum dimittentes, sunt ipso facto excommunicati. Qui vero non dimiserint habitum non incurrunt hanc pœnam nisi expresse statuta fuerit in Constitutionibus ordinis approbatis a S. Sede. De hac vero pœna excommunicationis latæ sententiæ silet Const. *Apostolicæ Sedis*. Hinc ex jure communi non amplius viget. Vigere autem potest in peculiaribus ordinibus religiosi si de eadem caveant regulæ a S. Sede probatæ. Summus enim Pontifex integras voluit permanere pœnas in regularium ordinum constitutionibus descriptas. 3^o. *Quamdiu* manent extra monasterium privantur omnibus privilegiis sui instituti c. 19. *circa fin. sess. 25. De Reg. in Tridentino*. 4^o. Juxta c. 4. *sess. 25. De Ref. in Tridentino* Religiosus qui quolibet prætextu absque licentia superioris in scripto accepta repertus fuerit, ab ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniendus est. 5^o. Ex decreto Urbani VIII. cit. *diei 21. Sept. 1624* fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deferant sive non, possunt ab Episcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici et Superioribus consignari, ut secundum instituti regulam puniantur. 6^o. Ex c. 3. *sess. 6. De Ref. in Trid.* quicumque regularis degens extra monasterium, si deliquerit, ab Ordinario loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato visitari, puniri et corrigi potest. Superiores vero regulares juxta c. *ult. h. t.* tenentur conquirere et revocare fugitivos et apostatas. Hæc obli-

gatio in genere adhuc viget, licet non amplius annualis revocatio faciendâ sit ob contrariam dispositionem ex temporum circumstantiis inductam. Superiores insuper possunt etiam uti vi coactiva pœnarum ad reducidos in monasterium fugitivos, et apostatas, immo et ad brachium sæculare confugere. Conferantur decretum Urbani VIII. et decretum Innoc. XII. apud Pettella *Canones et Decret. Conc. Trid. ad c. 19. sess. 25. De Reg. II. 21. et 25.*

TITULUS XXXII.

De conversione conjugatorum.

1. Conversio in titulo exprimit efficax conjugatorum propositum ingrediendi, et profitendi religionem vel ordinem majorem suscipiendi. Et 1^o. quoad ingressum et professionem religiosam. Ante consummationem potest unus ex conjugibus religionem approbatam ingredi altero conjuge etiam invito, et in religione profiteri. Textus est clarus in c. 2. *h. t.* cui concordat c. 1. *eod.* Ex cap. 2. conceditur cuique conjugi bimestre ad deliberandum, utrum velit in conjugio manere, vel ingredi religionem. Hinc intra hoc bimestre neuter conjugum tenetur reddere debitum conjugale et matrimonium consummare. Hoc vero bimestre ex sensu cap. 2. incipit decurrere a die termini præfixi a iudice, quo bimestre elapso altera pars potest jure meritoque cogere conjugem ad consummandum matrimonium. Professione autem votorum solemnium emissa ante consummationem matrimonium simpliciter ratum dissolvitur. Hinc altera pars remanens in sæculo potest ad alia vota libere transire cap. 2. *h. t.* et can. 6. *sess. 24. De Matr. in Trid.* Si quæretur cur uni ex conjugibus ante consummationem matrimonii detur facultas ingrediendi religionem et in eadem profitendi etiam altero invito; respondent DD. quia ex una parte verba Christi Domini *'Quod Deus conjunxit, homo non separet'*, intelligenda sunt de matrimonio rato, et consummato c. 7. *h. t.* ex altera vero ministerio juris post dispositionem dicti cap. 7. *h. t.* contractui matrimonii inesse censetur conditio: *'Nisi statum perfectiorem intra bimestre suscipiam'*. Ideoque antequam matrimonium per consummationem constituatur in plena expressione significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest in perfecto esse sacramenti, conditio illa vim suam conservat, ita ut si subsequatur professio religiosa quæ actuat conditionem eandem, matrimonium ratum dissolvatur.